

h. 73. 39.

Y c  
1346

DE  
**CONCORDIA**  
SCHOLARUM TAM TRIVIALIVM, QUAM ILLVSTRIORVM SEV ACADEMIARVM, STATVS CIVILIS, ET ECCLESIASTICI, SVBIVNCTIS PERSONIS,

QVETIAM  
SCHOLAE, REIPVBLICAE ET ECCLESIAE

IVTREBOCENSI

PRAESVNT,

DISSERIT,

CVM AD

*Brevis Recens. Rectorum  
Gymnasii Jüterbocensis.*

**ORATIONES AVDIENDAS**

D. XXIX. APRILIS MDCCXXXIV.

SVMME REVERENDVM DN. EPHORVM

DNN. PATRONOS VENERANDOS,

FAVTORES ET AMICOS

SVSPICIENDOS

GYMNASII NOSTRI

'OFFICIOSISSIME INVITAT

M. IOH. GEORG. TIEMANN,

RECTOR GYMN. ET DIACONVS

AD B. VIRG. ET MINORI-  
TARVM.

---

IVTREBOCI, LITERIS BAVDIANIS.

CONCORDIA

SCHOLARUM TAMPARIVAE  
LVM. OVAM HVSTIORM SVV ACAD-  
MIAVM SVVSVS CIVIVS ET ECCLIASTI-  
CI SVBIVNCTIS PERSONIS

SCHOLAE REIPUBLICAE ET ECCLIAE


IN TIBURGINI

IN SVSSVNT

DISCRIT

CIVITAD

ORATIONES ADIUDICIAS



IN REIPUBLICA TIBURGINI





**S**I, quantum discordia barbara, *qua maxima res dilabuntur teste experientia* & Sallustio (de Bell. Iugurth. c. 10.) detrimenti parit; tantum Concordia honesta, *qua parva res crescunt*, emolumentum adfert: Non minus, qui Christianis Scholis, qui Statui Civili, qui Ecclesiastico præsumunt discordiæ & contentionum vulneribus prudenter omnique adhibita diligentia mederi debent; quam *necessarium est*, ut CONCORDIAM SCHOLARVM, STATUS CIVILIS & ECCLESIASTICI sartam tectamq; præstent, quo illa vigeat, floreat, confirmeturque. Repetamus hanc CONCORDIAM sive *coniunctionem scholarum status civilis & ecclesiastici secundum voluntatem divinam eam ob causam factam, ut honestati atq; perpetua humana saluti eo melius consulatur*, repetamus, inquam, illam ab ultima ejus origine, Scholas triviales, ut dicuntur, & Academias, quæ potissimum in rebus publicis Christianis locum habere debent, earundemque pulcherrimum sunt ornamentum, & pars maxime necessaria, scholas illas & bonorum Patrum familias & Eruditorum sapientiæ laude clarissimorum, & Prin-

Principum Magistratumque, qui munere suo recte fungi possunt, & Ministrorum Ecclesiae, qui prudentes rerum spiritualium sunt dispensatores, felicissima jucundissimaque esse seminaria, ex quibus orbis terrarum Lumina prodeunt, quis dubitabit? quis negabit? quis non fatebitur? In scholis itaque haec concordia nascatur necesse est. Quodsi enim id tenebrarum regnum obtineat, ut scholae Christianae negotia negligantur, ludibrio exponantur, turbentur, evertantur: non potest non tam venenata humanum genus lues invadere, ut medicina salutaris alia adhiberi non possit, atque illa, quae a scholarum restauratione est expectanda. *Testantur* (inquit Beatus *Lorius* Consul de Republica Iutrebocensi immortaliter meritus, in Oratione, qua anno MDLXXVII. die S. Lucae Gymnasii Iutrebocensis Rectoratum solenni ritu M. Ioh. Grunio, Norinbergensi commendavit) *historia*, imperia instituta esse & crevisse, cum publice pietatis studium, prudentia, iustitia, concordia: privatim vero frugalitas, sedulitas, candor, veritas & similes virtutes florent. E contrario ea decrevisse & mutata esse propter idololatriam, prophanitatem tyrannidem, iniurias, libidines, discordiam, luxum, otium, fraudes in contractibus totaque officiorum commutatione & alia scelera. Et non multo post: *Sicut igitur bona vel prava institutio, quae primas in pueritia radices egit, in adultis bonos vel malos fructus parit, quodcumque vita genus instituat, iuxta dictum:*

Quo semel est imbuta recens servabit odorem  
Testa diu

*Haec eadem primum ac principium est remedium, sine quo infeliciter  
adhibentur reliqua omnia, & nihil aut parum proficiunt, sed super-  
ficientenus tantum sanant vulnera publica. A Scholis itaque recte  
aperiendis instaurandisque & instituendis initium faciat oportet,  
qui de genere humano praeclare mereri rebusque communibus recte  
consulere cupiet. Sed hanc scholarum status civilis &  
ecclesiastici concordiam, Deo quam maxime ac-  
ceptam atque humano generi utilissimam, multa  
regni tenebrarum impediunt stratagemata. Nunc  
negotiis scholasticis, nunc civilibus, nunc eccle-  
siasticis pessime abutitur. Tam mala enim quam  
bona non eam ob causam turbatores Christiana-  
rum Rerumpublicarum proferunt, ut salutaris  
gravissimis malis medicina adhibeatur; vel, ut,  
quae ornant Respublicas Christianas, incrementa  
capiant: sed ut veram necessariam utilissimamque  
eruditionem, sapientiam, prudentiam, honestatem  
pietatemque aditu intercludant, ut haec omnia  
suspecta reddant: eademque non raro multi igno-  
rare, quam nosse; negare, quam ratione pessimi  
finis corrigere malunt. Haec igitur stratagemata,  
ut scholarum, status civilis & ecclesiastici con-  
cordiam nasci & efflorescere patiantur, tantum  
abest, utpotius eandem funditus evertant, ipsasque  
respublicas & ecclesias perturbent, concutiant &  
labefactent. Tantae vero regni tenebrarum vires  
non sunt, ut venerandum divinae gratiae regnum  
illis succumbere debeat: sed genuini hujus regni*

cives ac defensores sub vexillo Christi *ἡγεμόνες* Luc.  
XI, 22. fortiter pugnantes modo hoc modo illo  
tempore, modo hoc modo illo in loco de regno  
tenebrarum reportant victoriam. Sic schola-  
rum Christianarum, status civilis & ecclesiastici  
honestissima maximeque necessaria concordia  
vel disrupta redintegratur, vel redintegrata aliter  
fovetur, defenditur, confirmatur. In promptu  
enim sunt saluberrima *subsidia & adminicula*, quorum  
ope discordiæ barbaræ nervi & vires frangi, con-  
cordiaque laude dignissima ac Deo gratissima, vel  
extincta in vitam revocari, vel extremum ducens  
spiritum sanari, erigi, salvarique potest. Sed num-  
ne facilius scholæ; an vero status civilis, qui scho-  
las splendore suo superat; an vero status, qui inter-  
dum scholastico opponitur, ecclesiasticus, qui pro-  
pter dignitatem suam omnibus jure est antefere-  
ndus, facilius feliciusque hic juvare poterit? Et Scho-  
larum & Civitatum & Ecclesiarum Præfecti sin-  
cero animo conjunctis viribus juvent necesse est.  
Verum omnino est, Statum Ecclesiasticum san-  
ctissimum ad Concordiam hanc syadendam  
maxime esse idoneum & ab aliis filiali obedien-  
tia propterea venerandum; Civilem ad stabilien-  
dam Concordiam auctoritate plurimum posse;  
sed ubinam discordiæ & concordia *necessitas, natura,*  
*origo, impedimenta, adiumenta,* prioris damnum posterioris-  
que

que utilitas & alia exponuntur instillantur? ubi  
vel odium vel amor in ea plerumque excitatur &  
alitur, sive perverse, sive dextre id fiat, nonne in  
scholis? Vbi docendum est, quid vel per nostram  
humanam naturam luminis naturæ ope, vel per  
gratiam divinam supernaturalem virtute verbi  
divini agendum omittendumque sit, ut volunta-  
ti divinæ morem geramus, ut & homines, &  
Christianos nos esse re ipsa comprobemus, nonne  
in scholis? Vbi formandi sunt, qui rebus domesti-  
cis, qui civilibus, qui ecclesiasticis sapienter præ-  
sunt? ubi docendum, qui iisdem sint dedecori &  
exitio, qui vero usui & ornamento, nonne in  
scholis? Vbi facillime felicissimeque horrenda fa-  
miliarum, rerum publicarum, ecclesiarum, in-  
cendia & flammæ sævientes restingvi ac supprimi  
possunt, nonne in scholis? Fac eos, qui ad rerum  
publicarum clavum sedent, non curare scholarum  
trivialium & illustriorum, quæ academiæ dicun-  
tur, florem; fac & illos, qui dicuntur ministri ec-  
clesiæ, nec amare, nec sapienter tueri illum; fac  
hoc genus curæ vel his vel illis vel utrisque ad-  
modum leve videri & non satis dignum s. immo-  
rum vrorum personis, pro! quam fœda barbaries,  
quam noxia ignorantia, quam venenati errores,  
quam dira & nefanda malitia ipsam rempublicam  
& ecclesiam Dei inundabunt ac deformabunt!

Quæ

Quæ cum ita sint; cum mediæ ævi potissimum barbaries nos sapientes reddere debeat: præclare illi Rebuspublicis Christianis consulunt; præclare etiam veræ Dei Ecclesiæ, turpissimis male feriatorum hominum procellis agitata, consulunt, qui de scholis bene merentur, quibus Scholarum, Status Civilis, & Ecclesiastici Concordia nihil est prius nihilque antiquius. O, si rebus publicis, ecclesiis scholisque tam trivialibus, quam illustrioribus præfecti divino spiritu, spiritu pacis & concordia se regi patiantur, quanta nascitur *utilitas!* quanta malorum illas capitibus miseris mortalium imminens velut in herba suppressi potest! O, quam jucunda corporis animiq; salus, quam secunda temporaria æternaque felicitas complures felicissimos ejus modi rerum publicarum incolas delectat & sine fine delectabit! Felicissima felicitis Saxoniae tempora, quibus FRIDERICVS Sapiens & IOHANNES Constantans Electores Saxoniae, LVTHERVS, SPALATINVS, MELANCHTHON, vel potius MELANTHON ut ipse scripsit (quod Vir Summe Reverendus Dn. D. Olearius, Ephorus Gymn. nostri gravissimus communicatio manu ipsius Melanthonis scripto me docuit) IVST. IONAS, alique, qui rebus ecclesiasticis præfuerunt; quibus multi viri nunc *in ætatis* eodem sancto spiritu ducti rerum publicarum ecclesiarumque fuerunt lumina, animos nostros



nostros excitare debent, ut cognoscamus, quanta fa-  
lus ex Scholarum Status Civiliſ & Eccleſiaſtici Con-  
cordia & mutuis amplexibus in miſerum humanum  
genus redundet. Negari quidem non poteſt peſſi-  
morum affectuum atris nubibus impeditos agnoſce-  
re non potuiſſe hanc felicitatem, qui ipſum B. LV-  
THERVM vel cum LORINO *ſumma ruditate atque inſci-  
tia accuſarunt*; vel cum Claud. FLEVRIO contenderunt,  
*Lutherum ſibi ſcopum in purgandis ſacris propoſitum habuiſſe, ut ho-  
mines a litterarum amore retraheret, ipſaque demum ſtudia ex eccle-  
ſia eliminarentur*; vel cum GRETſERO craſſa per quam  
calumnia verbis Lutheri abuſi eum inſimularunt  
docuiſſe, Scholas eſſe ſynagogas & tabernas a maligno ſpiritu occu-  
pataſ, & Chriſtiana rei tantum officere atque diabolum ipſum; prohi-  
buiſſe etiam parenteſ, ne iuventutem ſuam iis committerent, quod tan-  
tum id ſit flagitii, acſi liberoſ Moloch ipſi immolandoſ offerrent. Spe-  
cialitatem autem & philoſophia & philologia h. e. grammatices & rhetori-  
ces notitiam eum nullo numeroſſe loco, atque ut ab aliis ſtoci fierent ve-  
hementer laboraſſe. conf. Hallbaueri Diſſert. de Luthero  
politioris litteraturæ cultore & æſtimateore pagr. IX.  
Non ſolum vero celeberrimus Dn. HALLBAVERVS  
Profeſſor eloquentiæ & ornamentum Academiae Ie-  
nenſiſ noſtro ævo, in Diſſertatione citata; ſed & hi-  
ſtoriarum lumen teſtatur, quanta Luthero fiat inju-  
ria, & quantum utilitatis atq; emolumentum ad huma-  
num genus ex ſcholarum, ſtatuſ civiliſ & eccleſiaſtici  
Deo accepta Concordia eo tempore profluxerit.  
Quanti litteraſ humanioreſ ſcholaſ honeſtaſ & Chri-  
ſtianaſ fecerit Lutheruſ litterarum monumentiſ con-  
B signa-

gnatum ipse nobis inter alia reliquit, in admonitione ad Magistratus, quæ inscribitur: An die Burgermeister und Raths Herren aller Städte Deutschlandes / daß sie Christliche Schulen aufrichten und halten sollen / & in scripto: An den deutschen Adel. Vi Ministerium Ecclesiasticum excitaret, scribebat Tom. V. Alt. f. 294. Wo wir Prediger hier schweigen und schlaffen / daß die Jugend so versäumet / und unsere Nachkommen Tattern oder wilde Thiere werden: so wird es unseres Schweigens und Schnarchens Schuld seyn / und werden müssen schwere Rechenschaft geben. Quæ consilia & monita Lutheri eo tempore vel propterea maxime necessaria erant, quia partim multorum Imperantium superbia & superstitio, partim ignavia Monachorum & supina aliorum fratrum ignorantia negligentia Concordiam Scholarum Christianarum & Status Civilis Ecclesiasticiq; impediabant. Vel nostra civitas Vitembergæ vicina, luculentum de hac re præbere potest testimonium, quanti B. Lutherus Concordiam Scholarum, Status Civilis & Ecclesiastici fecerit. Duce enim atque auctore eo, sacra, quæ Tezelius apud nos turpissimo modo profanaverat, divina gratia sunt repurgata: Atque ita sunt repurgata, ut quicquid reipublicæ Christianæ vel nascenti vel adultæ obesset sublatum vellet. Cum enim (quod Georg. STRIGENITIVS Vinariensis Sec. XVI. Concionator aulicus, Concione VIII. in Ionam fol. 43. a. & ex eo M. Iac. Dan. ERNST in der Historischen Confect-Tafel 3. Theil n. 12. p. 354. refert, Lutherus Iutrebocensibus nostris

ab eo

ab eo concionatorem bonum petentibus Christo-  
phorum FISCHERVM, qui Pastor Evangelicus primus  
sacris apud nos repurgatis, ad B. Virginis & Minori-  
tarum ædem fuit, misisset; cumque is postea una  
cum Præfecto Iutrebocensi & Consule ad nuptias  
Vitembergam venisset: laudato Fischero coram Lu-  
thero ab his comitibus suis mirum in modum, Lu-  
therus notatu dignissimum monitum dedit. Dn. Fi-  
schero enim ad se vocato, audiui, inquit Lutherus,  
Præfectum atque Consulem vestrum te summis ex-  
tollere laudibus: sed ea mihi propterea displicuerunt,  
quia laudes filiorum hujus mundi testantur, ecclesiæ  
ministrum vitii eorum indulgere. Itaque exis col-  
ligo, te officium tuum non recte curare. Diligentius  
itaque, et si malis displiceat, munere tuo imposte-  
rum fungaris, ut fidelium ecclesiæ ministrorum gra-  
tiam, hoc est odium malorum referas & invidiam.  
Et qui nostræ Seculo XVI. præfuerunt Reipublicæ, vi-  
ri honestissimi, sapientissimi, prudentissimi que consi-  
liis & monitis Lutheri adjuti, dederunt operam, ut  
eandem instituto liberalium artium Gymnasio red-  
derent celebriorem. Ante enim quam illud inaugu-  
raretur, jam MDLXII. in Scholam Cœnobium Mi-  
norum indulgente SIGISMUNDO Archiepiscopo  
Evangelico Magdeburgensi, mutarunt, atque M.  
Iac. MAVRITIVM, ac postea M. Georg. SCHLINERVM  
ei præfecerunt; *Quod e Chronico Diœceseos Iutrebocensis  
collect.*

*collecto* a Viro Summe Reverendo Dn. D. VALENT. ERN-  
LÖESCHERO, cum adhuc Superintendens Diocesis  
Iutrebocensis esset, *intellexi*. Et cum B. Ioach. LOTHVS  
Reipublicæ nostræ tum Consul Spectatissimus civi-  
tatis nostræ Gymnasium anno MDLXXVII. inaugu-  
raret, M. Ioh. GRVNIVM Rectorem ei præfecit, cui  
quinque dati sunt in Scholæ Collegæ. Quem MDLXXX  
Vittenbergam revocatum Professore[m]que Logices  
& Ethices, ut & Alumnorum Ephorum constitutum  
adhuc sæculo XVI. in Rectoris provincia apud nos se-  
cuti sunt. M. Georg. FORWERG, postea Martinus PRÆ-  
TORIVS & tum M. Ioh. ALBINVS. Sec. vero XVII. M.  
Balch. SCHARNOVIVS, Ioh. CVNOVIVS, M. Mart. LIESICK  
M. Ioh. REDSLOBIVS, M. Iac. HEROLDVS, M. Benedict.  
TEVPITZ, M. Thom. SCHARNOVIVS, M. Christoph  
GRAVEL, M. Christian. SCHARNOVIVS. Sæculo præsen-  
te XVIII. M. Christian Gotthelf TEVPITZ, anno  
MDCXC. Bernavia Iutrebocum vocatus, qui non so-  
lum Rector Gymnasio nostro usque ad MDCCXII.  
quo mortuus est præfuit, sed etiam Diaconus ad B.  
Virg. & Minoritarum est ordinatus. Huic morbo ar-  
ticulari correpto M. Christoph FINGERVS in utroque  
officio MDCCXVI. primum adjunctus est, deinde  
mortuum excepit; quo Archi-Diacono ad B. Nicô-  
lar & Pastore ad B. Iacobi anno MDCCXXV. consti-  
tuto, eidem duplici officio divina providentia, Seren-  
issimi Principis nostri & Spectatissimorum Patrum  
con-

## Conscriptorum Civitatis Iutrebocensis voluntas

ME præesse jussit. Cui jam Collegæ Gymnasii M. Zach. SCHARNOVIVS, Con-Rector Godofr. Henr. BVRSCHIVS, Cantor & Chori Musici Director, Ioh. Michael LEHMANNVS, Coll. III. Ioh. Christoph. HERINGIVS, Coll. IV. & Martinus CONRAD, dati sunt.

*Præter hos Gymn. Collegas Ioh. Gottl. SCHVLZIVS, ut sexum sequio remapud nos efflorescentem doceat maxime salutaria, publice iussus est*

*Civitati vero nostræ jam præsunt in Præfectura Principali:*  
Ioh. Henricus RITTERVS, Præfectus & Consiliarius Serenissimi Principis. Ioach. Frider. LVDICKIVS, Commissarius Camera & Actuarius.

*In Vrbe:* Georgius Carolus LOSSIVS, Consul hoc anno Regens, Syndicus, & Iuris Præcticus celeberrimus. Ioh. Godofredus MEDICKE, Consul, Quæstor circuli Iutrebocensis & tributorum Inspector amplissimus. Ioh. Christian HENNINGIVS, Grammaticus Urbis. Senatores regiminis hujus anni Christian HENNINGIVS, Senior. Georgius ALANDIVS, Medicinæ Præcticus. Bened. DALICHO. Nicolaus VVILMERSDORFFIVS civitatis Camerarius, Christ. Gottlieb MAGNVS, Advocatus Præfecturæ & Potus tributorum Quæstor: Quibuscum mutuis officiis annuatim funguntur. Iohannes RENNERT, Senior & Collector tributorum. Ioh. Christian FLEMMINGIVS, Tributorem Revisor. Lic. Ioh. Christian. HOFFMANNVS, Physicus Urbis, Ioachimus VVILMERSDORFFIVS.

Ioh. Michael DENNEVVITZ, Prætor Urbanus, Atque Scabinus Iohannes MAGNVS, Senior. Gebhard Dietrich SCHVLZIVS. Christian Frider. FINGERVS. Christian KOREVBERVS.

*Ministerio vero Ecclesiastico Iurebocensi jam funguntur:*  
D. Ioh. Aug. OLEARIVS, Consiliarius Ecclesiasticus, Superin-  
tendens, Pastor Primarius ad B. Nicol. & Gymnasii Inspector.  
M. Ioh. Christian CRVDELIVS, Pastor ad B. Virginis & Minori-  
tarum. M. Christoph FINGER, Archi-Diaconus ad B. Nicolai  
& Pastor suburbii ad B. Iacobi. M. Paul. Iac. ECKARD, Diaconus  
ad D. Nicolai & Pastor ad D. Iac. M. Ioh. Georg. TIEMANN,  
Diaconus ad B. Virginis & Minorit. Gymnasiiqve Rector.  
Cum igitur vel ex his institutis appareat, pios nostros majores  
quæ Concordiæ Scholarum, Status Civis & Ecclesiastici neces-  
sitatem utilitatemque probe habebant perpescam, hæc ordinando  
tam nascentis & tenerioris, quam adulta reipublicæ prudentem  
& lucidam rationem habuisse: nostrum est, quibus civi-  
tatis huius Gymnasium per manus tradiderunt, ut eorum honesta &  
Christiana sequatur vestigia. Nec dubitamus, nostra olim  
Christiana exempli, si & scholæ & curiæ & ecclesiæ Deo ac-  
cipia ratione uno eodemque divino Spiritu ducti consu-  
amus, posteritati, si qua futura est, tam intuenda fore, quam imi-  
tanda. Ut necessaria huius concordiæ fundamenta in scola ja-  
ciamus, omnem movebimus lapidem, atque ego pro viribus, si  
quid consilis & exemplo præstare poterero nec Collegis nec disci-  
pulis meis deero. Eam ob causam Philologia, Philosophia, Theo-  
logia Historia que pro viribus nostris & auditorum capacitate im-  
posterum quoque docebitur fideliter; purissimis quippe limpidis-  
simo que quantum fieri poterit fontibus arva nostra & irrigare  
studimus, & imposterum irrigabimus: Ab his vero, qui Re-  
bus Civilibus & Ecclesiasticis apud nos præsent humanissime ob-  
servantissimeque perimus, ut & auctoritate & sapientibus con-  
siliis conatus nostros honestos & reipublicæ Christianæ utiles ful-  
ciant, stabulant, confirmant, foveant ac tueantur. Hoc factum  
in terris nostris, ut sanctissimus Psalmographus ait Psalm. LXXXV,  
et honor & gloria sedem ac domicilium habebunt, benignitas  
& veritas

& veritas sibi occurrent, justitia & pax amplexu mutuo jun-  
gentur. Hac spe aperiemus his pagellis nostram de testimoniis  
studiorum nostrorum sententiam. Ut adhuc consuevimus: ita  
imposterum alumnos nostros perorando & disputando exercere  
pergemus, hac saltem differentia, ut quod adhuc plerumque  
privatim egimus, illud imposterum saepius publice instituamus.  
Institutis nonnullis exercitationibus publice etiam eorum dili-  
gentiam aperiemus, qui dederunt operam, ut naturalem rudi-  
tatem, stultitiam & barbariem saluberrimis doctrinis pre-ibus  
& exercitiis tollerent: & qui ad negotia civilia & ecclesiastica  
in re publica Christiana olim administranda ita se prepararunt,  
ut non jam solum de iis bene sperare, sed etiam confidere pos-  
simus, tales futuros, quales cognitos judicavimus. Nomi-  
nandi, hic eo ordine, quo publice adhuc vires suas periclitati  
sunt & periclitabuntur.

*Io. Jac. NIENDORFF*, Iutreboc. qui d. 27. Martii a. c. in Audi-  
torio nostro publica germanico sermone exposuit: *Da-  
viel Menschen keine Menschen sind.*

*Joh. Christian VVOLFFELD*, Iutreboc. qui d. 10. Aprilis, latino ser-  
mone publice *de Variis hominum moribus peroravit.*

*Christoph Gottlieb IVNGNICKEL*, Gadegast. Saxo, qui eodem die  
in Auditorio nostro majori germanice, *von dem Miss-  
brauch der Redekunst, wie derselbe sehr schädlich sey*  
declamavit.

**Die vero** 29. Aprilis a. c. iisdem lingvis, quibus hic Orationum  
Themata, quae sibi elegerunt & elaborarunt alumni no-  
stri primae Classis sequentes perorabunt.

*Joh. Christian VVOLFFELD*, Iutreb. περί τῶν χριστιανῶν μακαρί-  
των τῶν ἀδελφῶν.

*Michael MATZIVS*, Grypswald. Pomeranus, *de Laudanda Ord-  
num Reipublica symphonia.*

*Christoph*

Yc 1396  
01.  
VD 18

*h*Christop *G*ottlieb *I*YNGNICKEL, *G*adegast: *q*ui *s*eptem fere annos  
*G*ymnasii nostri civis ita se gessit, ut non saltem cum  
voto perpetuae felicitatis eum iam dimittamus; sed etiam  
*C*hristianae Reipubl. de eius studiis bona ominemur, in  
*O*ratione sua *V*aledictoria, qua *T*heologia se imposte-  
rum in *A*cademia *V*ittenbergensi operam daturum esse  
aperiet, dicit de *O*fficio *T*heologico gravi periculosissimoq;

*J*oh. *G*otthold *H*EINRICH, *V*etschoviensis *M*arch. *V*on der nöthigen  
*V*erbesserung des *V*erstandes und *W*illens.

*J*oh. *I*acob. *N*IENDORFF, *I*utreb, *D*e *F*ortitudine eorum *p*raestantissi-  
*m*a qui a *p*ropensionibus suis *p*erversis reportant *v*ictoriam

*A*ugust. *D*RESCHKE, *S*eydensis-Saxo. *V*om *G*ehorsam, den man  
der *O*brigkeit zu erweisen schuldig ist.

*F*ridr. *A*ug. *K*VBE, *Q*uedlinburgensis, *D*e *b*ona *C*onscientia, qua *l*itte-  
*r*arum *s*tudiosus bene *c*onsumto *t*empore *g*audere *p*otest.

*J*oh. *C*hristian *S*CHVLTZE, *B*orgsdorffio *I*utrebocensis. *V*on der  
*W*eisheit als der nöthigsten *T*ugend.

*Q*uicumq; itaq; favetis *G*ymnasio nostro, qui *l*i-  
*b*erales artes amatis, *V*estra, die dicto hora *V*III. ma-  
*t*utina, praesentia nobis gratissima *a*nimum addite  
*a*lumnis nostris, hoc est quod ea qua par est *v*enera-  
*t*ione *V*os omnes ac singulos officiosissime  
*r*ogamus.



X 333.1436

m.e



Yc  
1346

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

B.I.G.

DE  
CORDIA

RUM TAM TRIVIA-  
ILLVSTRIORVM SEV ACADE-  
TVS CIVILIS, ET ECCLESIASTI-  
BIVNCTIS PERSONIS,

QVETIAM  
REIPVBLICAE ET ECCLESIAE  
IVTREBOCENSI  
PRAESVNT,  
DISSERIT,  
CVM AD

*Brevis Recens. Rectorum  
Gymnasii Juterboensis.*

ONES AVDIENDAS

XIX. APRILIS MDCCXXXIV.  
VERENDVM DN. EPHORVM  
ATRONOS VENERANDOS,  
TORES ET AMICOS  
SVSPICIENDOS  
GYMNASII NOSTRI  
FICIOSISSIME INVITAT  
H. GEORG. TIEMANN,  
TOR GYMN. ET DIACONVS  
D B. VIRG. ET MINORI-  
TARVM.

BOCI, LITERIS BAVDIANIS.

